



Ferdinandus Dei gratia Rex Sicilie, Hierusalem et Hungarie. Universis etc. Cum ... universitas et homines civitatis nostre Capue ab illo iam tempore uo Rex Alfonsus pater et dominus noster ... bellum gessit cum Renato, Andegavie Duce huius Regni puplico invasore et ab ipso Regno eum expulit ea fuerint erga regem, fide et devotione affecti ut populatione agrorum castrorum casaliumque incendia, civium carcerationes, obsidiones, famem vulnera cedentes forti et constanti animo tulerint. Et cum idem hominis fervor post illius Regis mentem nos persequatur ut regnum ab eo vobis traddito iuste benedictione Sacrosancte Matris Ecclesie subsequata tranquille tenere possimus vi atque armis defendendum sit, ipsa universitas et homines eorum fidei atque constantie memore non damna et incommoda, non sumptus et expensas, non carceris et mortis pericula pro nostri status conservatione pertimescant, set ea omnia et plura etiam que in bello evenire solent pro nobis et nobiscum una ferre et perpeti parati sint et civitas nostra Calvi, que in presentiarum de nostro demanio est, sit eidem universitati Capue vicina, nec ullam habeat aliam civitatem demanialem propinquam, a qua subsidium aliquod, si quando eis ab aliquibus baronibus bellum inferretur, habere possit. Et nos, volentes comodis dicte civitatis Calvi et meritis ipsius civitatis Capue providere, tenore presentium ipsam civitatem Calvi et eius districtum et pertinentias omnes seperantes primo eam ab omni alia coniuntione adiungimus, coniungimus, annectimus, congregamus, unimus atque incorporamus ipsi civitati Capue atque tamquam membrum aliquod ei affigimus et inserimus atque adimus et membrum atque partem ipsius civitatis Capue in perpetuum decernimus et esse volumus cum omnibus suis villis oppidis, et casalibus et habitantibus in eis, iuribus, iurisdictionibus, banco iusticie in civilibus baiulatione, iuraque fructus redditus et proventus provenientes et provenientia ex cabella baiulationis ipsius civitatis Calvi seu passagio sive platea nec non cum terris cultis et incultis pratis, pascuisque, vineis, olivetis, trapetis, montanis, iardenis, silvis, molendinis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, bactinderiis et integro statu ipsius civitatis Calvi et de demanio ipsius intus et extra ipsam civitatem et eius territorio, pertinentiis et districtu comprehenduntur et inclunduntur ad utilitatem et commodum ac utile damnum et bursam comunem universitatis corporis dicte civitatis Capue et sex electorum et aliorum officialium sindicorum et decurionum qui pro temporibus ordinati fuerint in dicta civitate Capue de corpore tantum ipsius civitatis intelligendo et non de aliis extra corpus civitatis eiusdem, ita quidem quod ex nunc in antea dicta civitas Calvi non per se, sed pars et membrum ipsius civitatis Capue sit et esse debeat, nec nulla in re possit ab ipsa universitate Capue separari sed in omnibus rebus ipsam civitatem Capue sequatur tamquam pars et membrum integrum corpus et corpori affixum. Volentes et decernentes expresse quod ex nunc in antea ipsa universitas et homines Calvi et eius casalium et forie in omnibus rebus utilibus et necessariis civitatis Capua intervenire, subvenire auxiliari, participare de laboribus et expensis pro eorum rata debeat et obligata sit pro

ut et quemadmodum alia membra Capue faciunt et facere tenentur. Nec non potiantur et gaudeant ipsa universitas ... Calvi et homines in ipsa civitate Capua omnibus honoribus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et franchitiis quibus alie universitates et homines terrarum que sunt partes et membra ipsius civitatis pociuntur et gaudent, ipsaque universitas et homines civitatis Capue pociuntur et gaudent ac potiri et gaudere soliti sunt et debent; similiterque pro omnibus causis, que ad cognitionem et tribunal gubernatoris, capitanei et aliorum officialium tam nostrorum regalium quam ipsius civitatis dicta universitas et homines ipsius civitatis Calvi conveniantur et conveniri possint et fiscales functiones cum dicta civitate Capue facere teneantur prout quemadmodum homines aliorum membrorum faciunt et facere debent. Promictentes et firmiter pollicentes sub verbo et fide nostris regalibus nullo unquam tempore nec ob aliquam iminentem nobis necessitatem etiam pro guerra, que nobis fieret in Regno seu extra Regnum etiam pro recuperatione status nostre regalis corone, ipsam civitatem Calvi, nec membrum aliquod tota seu quota pars vaxallos redentes feudatarios et subpseudatarios angarios et perangarios obnoxii et astricti seu obligati redere et servitia debentes nobis et nostre Curie et fisco seu utiliter dominus, qui pro tempore fuerunt eiusdem civitatis Calvi, ipsamque civitatem seu membrum aliquod ipsius hominesque vaxallos reddentes feudatarios et subpseudatarios angarios et perangarios et quoscumque alios ad iura et servitia obligatos et obnoxios Curie nostre, pro quibuscumque nobis et pseudis et personalibus servitiis sive realibus non distrahere, nec adimere et seperare vel ab ipsa universitate corporis civitatis Capue nec alicui pre excellenti domino Comiti seu baroni concedere, donare, vendere, nec aliquo titulo alienationis distrahere ab ipsa civitate corporis civitatis Capue, sed omni futuro tempore remanere debeat unita unione inseperabili cum ipsa universitati corporis civitatis Capue pro demanio et in demanio prout ipsa civitas Capuana nostre regalis corone cum beneficio legis bene aczenone et legis omnis codice de quatriennii prescriptione, fidelitate et homagio, vaxallagio et servitiis, que debentur maioris domini ratione nobis et nostre curie semper salvis et omnimode reservatis ... regine Ysabelle consorti et Alfonso de Aragonia duci Calabrie, filio primogenito et locumtenenti nostris generalibus intentum nostrum declarantes. Mandamus Magistro Iusticiario eiusque locumtenenti et regenti Magnam Curiam Vicarie et indicibus eiusque curie, aliisque universis et singulis officialibus et subditis nostris eorumque locatenentibus presentibus et futuris, quatenus presentem nostram gratiam teneant firmiter et observent, tenerique et observari faciant inviolabiliter per quoscumque ipsaque universitatis et homines dicte civitatis Calvi in aliquo non contraveniant ratione aliqua sive causa, si gratiam nostram caram habent, iramque et indignationem ac penam ducatorum decem milium cupiunt evitare; predictique Regina et Dux minime contrafaciant quanto nobis complacere cupiunt, alique predicti gratiam nostram amant. In cuius rei testimonium presentes fieri iubimus magno Maiestatis nostre sigillo pendenti munitas. Datum in Castro Novo civitas nostre Neapolis per ... Honoratum Gayetanum Fundorum comitem, Regni huius Locathetam et Prothonotarium, collateralem etc., die quarto mensis agusti, anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, regnorum nostrorum anno tertio. Rex Ferdinandus.

Pascasius Garlon. Dominis Rex mandavit mihi Antonello de Petrucciis.
Quia duplicatum non solvit. V.A. de Montibus locumtenens Magni Camerarii.
Registra in Cancellaria penes Cancellarium.